



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Privilegium Tegernseensis Monasterii, Per Ottonem Secundum
Imperatorem, de Anno 979.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

CONRADVS quintus *Ayrnschmats* de Weilhaim electus canonicè mitis & bonus Oeconomus, emit 450. libros, 1100. lib. denariorum Monaceñ. construxitq; nouam Bibliothecam, Ecclesiam de nouo ædificauit, picturis & altaribus exornauit, ædificauit granarium. Item cellam vinariam, Item fossam cum muris & propugnaculis ad refugium subditorum, Item ante obitum construxit nouam Basilicam, ad S. Leonhardum in angulo. Item pontem lapideum super fluiuium Mangfald. Rexit Annis 31. Obit Anno 1492. IX. Calendas Februarij ætatis 66. XLIV.

QVIRINVS primus Regler de Winschaim Francus, eligitur canonicè Anno 1492. VII. Idus Februarij, anno ætatis 33. æmulorum iniuria adactus resignauit officium, anno 1500. concessit in Monasterium Mansce, Ibi obiit, 1510. VIII. Idus Iulij. XLV.

HAINRICVS dictus Khuntzner de Kuostain, sic Abbas anno ætatis 32. pius, prouidus & bonus Oeconomus, deponit Abbatia ob debilitatem an. 1512. quam post Abbatia Mauri resignationem iterum assumpsit, qua denuò se abdicat, anno, 1543. Obit anno 1544. 17. Calend. Ianuarij. XLVI.

MAVRVS Leyrer, ex seculari Sacerdote fit Monachus, & Hainrico resignanti succedit, sed cum esset ætate & annis grauis, resignauit officium an. 1528. Ille multa ædificauit, aquæ ductum de montibus ad dormitorium mira industria transeerit, Obit anno 1534. XLVII.

AVGVSTINVS Sturzenprugl de Schwvaz diligenter & fideliter rexit annis 13. obiit. 1556. Idibus Octobris. XLVIII.

BALTHASAR Erlacher de Kdnigstorf, eligitur ætatis suæ anno 32. Obit. 1568. Hic magnis impensis pro pauperibus scholam instituit, & plures eorum aluit. XLIX.

QVIRINVS Rest de Schwvaz electus Anno 1568. regit adhuc Anno 1580. L.

PRIVILEGIUM TEGERNSEENSIS
MONASTERII, PER OTTONEM

Secundum Imperatorem, de Anno 979.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS. Otto diuina fauente Clementia Imperator Augustus: Quia Regum vel Imperatorum pia consuetudo semper fuerat, Ecclesias Dei, ob æternæ retributionis præmium suis condonationibus exaltare vel renouare; Idcirco & nos prædecessorum nostrorum religiosam deuotionem sectari studentes, propter salutis æternæ mercedem, & statum Regni ac Imperij nostri Ecclesias & sumptus Deo militantium libenter præaugmentare cogitamus. Vnde & notum esse volumus vniuersitati fidelium nostrorum tam presentium quam futurorum, qualiter charissimus frater noster Otto Alemannorum & Bavarorum Dux, Serenitatis nostræ intulit auribus, esse quoddam in Bauaria sui Ducatus Prouincia, Cœnobium Tegarinsæ dictum, quod duo Germani fratres & Illustres Comites, in suo & de suo patrimonio temporibus Pipini Regis Francorum, ipsius permisso condiderunt, & regio mundiburdio commendauerunt, & à S. Papa Zacharia, ipsi Germani fratres Adalbertus & Otgarius, quos supra delibauimus, corpore beati Quirini Martyris impetrato, venerabile reddiderunt, ubi omni patrimonio suo contradito, ipsi coma capitis deposita, Monachico habitu suscepto, vnus de duobus fratribus Adalbertus nomine, in eodē loco centum quinquaginta Monachorum primordialis extiterit Abbas. Hęc nēpē principalis & regia extitit Abbatia, & religiosi Abbatibus quam pluribus insignis, priuilegiis antecessorum Regum Pipini videlicet & Caroli Magni,

Magni, Lodouici, Carolomanni roborata & ab omnium districtione personarum immunis, donec Laicorum tradita Dominio, Claustrum & officinas Monachorum cum vxoribus habitare cœperunt & sordebant canibus claustra sacrata domus, ex quo Monachis stipendiis suis ereptis, tota ibi religiosa deperit vita & spurcicia atq; nefariis rebus inualescentibus, mox coelesti vindicta Monasterium & omnia eius ædificia, cum libris & Ecclesiastico cultu igni concrematur. Nos ergo Imperiali miseratione huic loco hæcenus prolapsò succurrere volentes, per interuentum dilectissimi Nepotis ac fratris nostri Ottonis Ducis, supradictorum Regum & Imperatorum auctoritatem sequentes, ipsi Cœnobio, Tegarinsco dicto, in pago Sundergoe, & in Comitatu Luitpoldi Comitis sito, & in honore Apostolorum, Petri & Pauli, atque Quirini Martyris dedicato, secundum regularem vitam, Hartuicum nomine præfecimus Abbatem; quem, etiam cum loco illi à nobis commissò in Mundeburdium nostræ defensionis suscipientes, sibi & omnibus huic loco succedentibus Abbatibus, sub regia & imperatoria tuitione manere, ac nostra auctoritate concessimus; ita vt ipse præfatus Abbas, suiq; Successores, sub regia & imperiali defensione, rectitudinem illius Monasterij deinceps habeant, omnesq; res ad prædictum Monasterium, jure modò aspicientes, vel quas Deus illuc in futuris amplificare voluerit, in pratis & alpinis, pascuis, syluis, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, molendinis, viis ac inuis, cum decimatione totius Abbatia, & præsentis ac futura syluarum extirpatione, sub Abbatis eiusdem loci potestate, absque vllius personæ contradictione, perenniter subsistant. Insuper etiam Monachis præsentibus ac futuris inter se eligendi Abbatem, nostræ Maiestatis Imperio, potestatem concessimus, & vbicunq; eorum naues, siue carri, vel sammarij aduenerint, absque telonei exactiōe pertranscant. Et, vt hæc nostræ concessiōnis auctoritas firma in futuris temporibus & inconuulsa permaneat, hoc nostræ Maiest. præceptum inde conscribi & manu propria subtus notatum, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

SIGNVM Domini Ottonis, inuictissimi Imperatoris Augusti.

HILDIPOLDVS, Episcopus & Cancellarius ad vicem Willigisi Archicapellani recognoui. Data quarto Idus Iunij, Anno Dominicæ incarnationis 979, indictione. 6, anno verò regni secundi Ottonis X I V. Imperij autem II. Actum Bruomadæ feliciter, Amen.

PRIVILEGIUM TEGERNSEENSIS
MONASTERII, PER HAINRICVM SEXTVM
& Fridericum secundum Romanor. Imperator.
datum.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS. Fridericus secundus diuina fauente clementia Rom. Imperat. semper Augustus, Ierusalē & Siciliae Rex &c. Si ad Ecclesias & loca venerabilia benignè dirigimus aciem mentis nostræ, ac eorum profectibus intendimus diligenter, ne dum æternæ retributionis merita, sed & laudis præconium consequimur temporalis. Inde est igitur, quod notum volumus vniuersis Imperij fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, quod cum Hainricus venerabilis Abbas Monasterij Tegernseen. dilectus Princeps & fidelis noster, ad nostræ Maiestatis præsentiam accessisset, quoddam priuilegium eidem Monasterio suo, à Diuo Augusto Imperatore Hainrico, charissimo patre